





1928 K 944

134  
OTICAT R E C T O R M E M B E R G A 26  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**CONRADVS GOTTLLOB**  
**ANTON**  
PHILOSOPHIAE DOCTOR SS. THEOLOGIAE  
BACCALAVREVS LINGVARVM ORIENTALIVM  
PROFESSOR PUBLICVS ORDINARIVS

O R A T I O N E M

A  
GENEROSISSIMO KAMIENSKIO  
EQVITE THVRINGO  
CONVICTVS MARESCHALLIANI CAVSSA  
IN AVDITORIO MAIORE  
CRASTINO  
HABENDAM  
**CIVIBVS HVMANISSIMIS**  
SIGNIFICAT

1782



# RACEMATIO IN TACITO

xxv

**A**ddamus inuestigatae religioni Taciti locum coniunctum. Ut ille, vel Neronis aeuo corruptissimo homines non defuisse, uirtutibus eminentibus praeditos, demonstret, hos in uaria disperit genera. *Comitatae profugos liberos matres, secutae maritos in exilia coniuges, propinqui audentes, constantes generi, contumax, etiam aduersus tormenta, seruorum fides, supremae clarorum uirorum necessitates, ipsa necessitas fortiter tolerata, et laudatis antiquorum mortibus pares exitus* (Hist. I. 3.) Hic omnia plana Ernestio immortali, praeter illud, *supremae clarorum uirorum necessitates*. praedicatum enim desiderat, unde uirtus conspiciantur, propterea quod necessitas suprema, nec uirtus sit, nec bonum exemplum. Potius igitur legendum censet, *supremae clarorum uirorum necessitates fortiter toleratae*. Sed, pace manuum uiri praestantissimi, dixerim, nihil impedire, quo minus, *supremae*, attributi loco ponatur, necessitas subiecti, ut cum dialecticis loquar. Sicut enim de generis constantia, contumacia de fide seruorum, ne caetera afferam, praedicantur, ita necessitates supremae nominantur. Reperiuntur enim necessitates quoque non supremae, ac minus atroces, ut fames,

mes, sitis, inopia, aes alienum, atque aliae generis eiusdem. Hac potestate Tacitus ipse uocem necessitatis usurpat (Hist. II. 4.) quando Hierosolymorum uocat oppugnationem *durum magis et arduum opus, ob ingenium montis, et periculaciam superstitionis, quam quo satis virium obsessis ad tolerandas necessitates supererat.* Eximie uero necessitas ad mortem pertinet, uiolentam quoque, quod eam gentes profanae uitari negabant posse. Passim ideo noster historicus de supra necessitate atque ultima facit mentionem, ubi, quandam, uel natura mortuum, uel occisum, significat. Dices autem, quis necessitati huiusmodi laudem uirtutis tribuet. Probe uero, si quis naturae fragilitate conficitur, aut malitia, partim sua, partim aliena, cadit, aut ab animantibus, uel rebus inanimatis interimitur. Sin homines eximi, talem non meriti iniuriam, tolluntur e medio, quis huiusmodi necessitatem non cum uirtute coniungat. Tacitus autem de mortibus clarorum virorum uerba facit, qui bonum pariter exemplum praebent, ubi supremum diem, qua par est, animi magnitudine praestolantur. Habet enim vox suprema efficaciam quandam, seu emphasis, sine qua scriptoris sermo frigidus omnino foret, quamque ille satis indicat, ubi necessitates supremas ab ipsa necessitate fortiter tolerata discernit. Itaque duo decora in laude ponit viris, magnam consecutis gloriam, quibus Neronis acerbitas non pepercerit, non meritam mortem, in-

signi tamen constantia expectatam, huiusque ipsius  
fortem tolerantiam. Nihil hanc in sententiam no-  
bilius Senecae suprema necessitate, Annal. XV. in  
illustri posita monimento (c. 61. sqq.) Denuntiat illi  
unus centurionum ultimam necessitatem, animo du-  
dum praeceptam, partim propter libertatem sentien-  
di, Neroni inuisam, partim Pisonis, cuius incolumi-  
tate salus illius nitebatur, perniciem. Num quae pa-  
uoris signa, num quid triste in uerbis eius fuit, aut  
uultu, deprehensum. Imo vero poscit interritus te-  
stamenti tabulas, quibus denegatis, quam magnifi-  
co declarat amicis animo, se, quod unum, et tamen  
pulcherrimum haberet, imaginem uitiae suae, relictu-  
rum, ablata sibi facultate meritis eorum gratiam re-  
ferendi. Tam praeclare dicto, mirandum non est,  
eos in lacrymas effusos. His tamen peccus sapientis  
non permouetur, istos potius ad firmitudinem reuo-  
cat concitatiore sermone, e quo satis appetet, quam  
diu ille suprema praesenserit. *Cui ignaram fuisse Ne-*  
*ronis saeuitiam, neque aliud supereesse, post matrem fra-*  
*tremque imperfectos, quam ut educatoris praeceptorisque*  
*necem adiiceret.* En supremam philosophi celebratis-  
simi necessitatem, ipsam autem necessitatem quam  
fortiter tolerauit. Vxorem complexus, laudibus  
effert societatem mortis decorae, atque eodem iectu  
brachia ferro exoluit, et, saeuis quamlibet cruciati-  
bus defessus, suppeditante tamen nouissimo quoque  
momento eloquentia, pulcherrima tradit praece-  
pta,

pta, quae utinam Tacitus, etiam commutata, memoriae prodidisset, quantum sapientia uiri, ad extremum halitum constantissima, fuisset admirabilitatis habitura. Tandem, ueneno frustra hausto, calida aqua libans Ioui liberatori, uapore balnei animam dimittit placide. Maneat igitur lectio Taciti, *supremae clarorum uirorum necessitates*. Sed postremus eius locus me ad se reuocat, in quo, alia, puto, mutari temere, alia sine cauſa retineri. nam, c. 62. in eunte, Seneca, ad amicos conuersus, testatur, *quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum iam, et tamen pulcherrimum, habebat, imaginem uitae suae relinquere*. Hic parum moratur uerbum *habebat*, cum tamen in oratione infinita *habebat* requiratur. Sin historici uerba sunt, literis fuiscent aliis exprimenda. Magis uero offendit, *et tamen*. Sic enim Ernesti. *et tamen MS. Florent. teste I. Gron. Guelf. ed. pr. et ceterae ante Rhen.* qui fecit *iam tamen, et Pichena uelut e MS. Flor. et ed. Puteol.* iam attamen, quod falsum est, et secuti sunt tamen omnes usque ad Ryckium, qui uelut e Flor. dedit iam tamen. Sed et tamen restituit I. Gronouius. Mibi uero illud tamen friget, et alias Tacitus et pro at saepe, sed semper sine tamen, unde uereor, ne ex iam et natum sit. Bene uero Gronouius et tamen in loco suo reposuit. Reperitur enim similis Taciti locus (XIII. 21.) ipseque dicendi modus est usu scriptorum bonorum tritus, tam principio, quam in oratione media.

Vno simus Cicerone contenti (de sene&c. 10.) e Nestoris lingua melle dulcior fluebat oratio, quam ad suavitatem nullis egebat corporis uiribus, et tamen dux ille Graeciae nusquam optat, ut Aiakis similes habeat decem, at ut Nestoris. Idem (de offic. l. 25.) commenda facilitate atque altitudine animi, mox addit. Et tamen ita probanda est mansuetudo, atque clemencia, ut adhibeat rei publicae causa severitas. E quibus locis, inter se collatis, simul apparet, non illud tamen frigere. seruit enim disiunctioni contrariorum. Ita Seneca imaginem uitae suae cum bonis aliis, quibus hominibus, amicitia secum coniunctis, quod debeat, referat, longe inferioribus, componit, Stoicae memor disciplinae, honesta sola hoc numero habenda. Maiores mouet scrupulos c. 63. extremum. nouissimo quoque momento suppeditante eloquentia, aduocatis scriptoribus, Seneca pleraque tradidit, quae, in uulgs edita eius uerbis, inuertere supersedeo. Quid hic inuertere. Ernesti per suis, adeoque aliis uerbis exponere interpretatur. nam inuertere idem esse, quod commutare, commutatis uerbis dicere. Vellim uir perpetua gloria dignissimus hoc exemplis quibusdam stabilissem. Sed nihil affert, nisi orationem conuersam et mutatam apud Ciceronem (partit. c. 7.) hoc est, aliis atque aliis uerbis expressam. Hic aliud est conuertere, aliud inuertere orationem, ipso Tullio magistro. in coniunctis uerbis triplex adhiberi potest commutatio, non uerborum, sed ordinis tantummodo,

modo, ut, cum semel dictum sit directe, sicut natura ipsa  
tulerit, inuertatur ordo, et idem quasi sursum uersus  
retroque dicitur, deinde idem intercise atque permisit.  
Clare Cicero, uerba, negat, alia substitui, directam  
potius orationem non repeti, sed res sententiasque  
in alia serie collocari, idque non continenter, ue-  
rum interrupte, multisque alienis admixtis. Sic Ta-  
citus paullo ante sermones Senecae atque uxoris su-  
premos commemorat, non continentis, sed inter-  
positis narrationibus, et caussis admixtis, commen-  
tationibusque frugiferis, ipsa uerba tamen immutat-  
se passim non uidetur. Qua propter Rhenanus  
omnino lapsus est, qui inuertere pro peruertere et  
corrumpere positum credidit, eaque ductus opinio-  
~~ne maluit inuenire~~ legere. Forsan consimilis eum  
formula hanc in sententiam deduxit (c. 67.) *ipsa re-*  
*tuli uerba, quia non, ut Senecae, uulgata erant.* Tunc  
propius ad uerbum inuertere accederet, inserere, siue  
inferre. Verum, Ciceronis motus loco, me ab  
omni mutatione abstineo. Sed manus continere  
non possum ab alia lectione, parum sana (XVI. 3.)  
Agitur hic de ludorum celebratione, atque humili-  
bus in Neronem blanditiis hominum uarii generis.  
*Forte quinquennale ludicrum secundo lustro celebraba-*  
*tur, oratoribusque praecipue materia in laudem prin-  
cipis assumpta est. non enim tantum solitas fruges, nec*  
*metallis confusum aurum gigni, sed noua ubertate pro-  
uenire terram, et obuias opes deferre Deos, quaeque alia*  
*summa*

*summa facundia, nec minore adulazione, seruilia singe-  
bant, securi de facilitate credentis*

Quid nobis uideatur, cum primum licuerit, exponemus. Nunc enim nos ad se grauiora uocant, quod in medium prodibit Generosissimus *Carolus Guilielmus Augustus de Kamiensky*, Eques Thuringus. Ille excitatus beneficii memoria, quod conuictus Marschallianus ipsi tribuit, anniuersaria persequetur oratione pias beneficiorum caussas, ut euergetae sui merita dignissimis laudibus ornet, et totius Academiae gaudium, ex aduentu Perillustris sacrorum Praesidis ac literarum, *DE BERLEPSCH* iucundissimo perceptum, prout par est, expromat. Quid enim poterit illa non expectare a Musageta, cuius prudentia atque industria summa nititur ope, ut religione sua constet mundities, atque eruditioni pristinus splendor reuocetur. Vos igitur, *Ciues Dilectissimi*, frequentes conuenite, modestia atque attentio ne uestra oratoris studia iuuate, eiusque uotis nostra iungite ac uestra, ut, quicquid ille ceperit consilii, ad rem diuinam literatamque in pristinum restituendam, successu prospero fortunetur, et cum gloria tanti uiri sempiterna propagetur ad omnem posteritatem. P. P. Prid. Eid. Sept. *CICICCLXXXII*

---

*VITEMBERGAE  
LITERIS CAROLI CHRISTIANI BÜRKIS*

**ULB Halle**  
004 057 996

3



v278

56



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

White

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



1928 K 944

27

OTICATI DIRECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**CONRADVS GOTTLLOB**  
**ANTON**  
PHILOSOPHIAE DOCTOR SS. THEOLOGIAE  
BACCALAVREVS LINGVARVM ORIENTALIVM  
PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS

ORATIONEM

A  
GENEROSISSIMO KAMIENSKIO  
EQVITE THVRINGO  
CONVICTVS MARESCHALLIANI CAVSSA  
IN AVDITORIO MAIORE  
CRASTINO  
HABENDAM  
CIVIBVS HVMANISSIMIS  
SIGNIFICAT

1782